

Heinricus archiepiscopus dedit nobis curiam Birke anno Domini 1154¹.

Arnoldus.

Arnoldus archiepiscopus annis 4. Hic a civibus suis in monte sancti Iacobi piaculariter² occiditur. Anno Domini 1160. in festo sancti Iohannis baptiste post occisionem Arnoldi cives Maguntini nobilem quendam Rudolffum nomine, fratrem ducis de Zeringen, in episcopum eligerunt, contra quos langravius et cives de Erffordia et de Aschaffenburg et de omni exteriori episcopatu elegerunt quendam Cristianum nomine, filium cuiusdam comitis de Thuringia. Eo tempore fuit in maiori domo Maguncie quedam ymago de auro optimo facta, habens pondus auri plus quam centum marcas. Hanc cives Maguntini dederunt electo suo Rudolffo, ut exinde donativum³ erogaret militibus. Post annum autem unum vel duos Friedericus imperator venit cum exercitu Mogunciam et utrosque ammovit episcopos, scilicet Rudolffum et Christianum, muros eciam civitatis destrui fecit, et Conradum, nobilem et industrium clericum, fratrem palatini comitis de Windelingsbach, episcopum civitati prefecit. Obiit 1160, 8. Kal. Iulii.

Conradus.

Conradus archiepiscopus annis 35. Anno Domini 1160 Adrianus papa obiit, eodem anno quo occisus est Arnoldus archiepiscopus, cumque omnes cardinales Alexandrum papam eligissent, duo nichilominus cardinales quendam Octavianum eligerunt, qui diu multis modis papatum aspiraverat. Hic cum sibi electorum⁴ numerum deesse videret⁵, auxilium Friederici imperatoris requisivit. Imperator autem, convocato concilio episcoporum et principum apud Papiam⁶, Octavianum papam esse modis omnibus decrevit, et quicumque Octaviano non obediret, regiam maiestatem graviter offenderet. Iste Conradus coronavit in passagio regem in Iherusalem. Obiit 1200⁷. Anno Domini 1166. Conradus archiepiscopus Maguntinus eiectus est de episcopatu suo, eo quod ydolum imperatoris nolisset adorare, id est scismatico obedire, et Christianus in locum eius surrogatus est. Ebirhardus quoque abbas Ebirbaccensis fugit ad Sanctum Anastasium, claustrum grisei ordinis, quod situm est prope Romam. Multi eciam monachorum et conversorum fugerunt in Claramvallem et ad alia diversa loca, quia ydola imperatoris cogebantur⁸ adorare, id est scismaticis obedire. Eo tempore nullus abbatum Cisterciensis ordinis per

1) Diese Notiz fehlt im cod. Eb. Zur Sache siehe Bär, Gesch. v. Eb. I, 183. 2) Ohne Zweifel richtiger als 'bacularitus' des cod. Eb. 3) So auch der cod. Eb., nicht 'donatum', wie Zais las. 4) Dies fehlt im cod. Eb. wo 'numeros' steht. 5) 'viderit' Mog. 6) 'papam' Eb. 7) Hier folgt zunächst ein unbeschriebener Raum; dann steht am Rande roth: 'Hic deiectus est de episcopatu'. 8) 'cogabantur' Mog.